

miniculo non hauserit: & ita Chymico artificio, quod in ea solutione vniuersum propè consistit, stipendia non poenitenda fecerit. Hæc omnia eò tendunt, vt cùm necesse sit Philosophũ, ad mixtorum principia & caussas, non sola mentis persuasa commentatione aliquouſque penetraſſe: sed eas certa cognitione, quam proferat ſciētia, ceu manibus deprehendiſſe: ea verò, abſque ſolutionis famulatu, ſenſibus cum internis, tum externis haud contingat: ſolutionem demum ſola Chymix artificialis machinamenta effectam dent: perſpiciat vnusquisque euidenti neceſſitate ſequi, eius haud vlla ratione expertem eſſe debere Philoſophum. Exemplo eo res fiet clarior, quod ſtatuit Mercurialis, cùm is videret ab Ariſtotele dici, fiſtilia eliquari non poſſe, quod neſciat aqua, eoſdem per quos exiuit, penetraſſe re ipſa tamen aduerſari experientiam quotidianam cognoſceret, refragatur ipſi, & eodem argumento vſus, ſi, inquit, eius ſubtilitatis inueniatur humor, vt laterum meatus ſubire queat, tum Ariſtotelis quoque ſententia liquabuntur.

4. *Variar.*  
lect. cap. 9.